TROIANI HEROIS
AE N E AE
ITER AD ELYSIVM,

Carmen allegoricum musicis modis concinnatum, & dictum, dum

BENEDICTVS PAMPHILIVS

FAVSTISSIMIS, SANCTISSIMISQ; AVSPICIIS

INNOCENTII XI. PONT. MAX.

Philosophica, ac Theologica laurea in Romano Societatis IESV Collegio donaretur.





ROMAE, Typis Francisci Tizzoni. M. DC. LXXVI.
SVPERIORVM PERMISSV.





INNOCENTIO XI.
PONT. MAX.

BENEDICTVS PAMPHILIVS
Felicitatem.



EA bonarum artium studia, meumque cum ijs animum, in solemni Philosophiæ, ac Theologiæ laurea, obsequio deuoturus Ecclesiæ, vt omen ducam è Cęlo faustissimum, Tuis, BEATISSIME PATER, sanctissimis pedibus humillimè prouolutus, enixè precor, & obsecro, vt Auspicem Te mihi benignè indulgere nō abnuas, quem à primo ipso Tui Pontificatus exorsu, tanquam lætissimum, certissimumque publicæ felicitatis horoscopum, quicumque vel Te videt, vel de Te audit, iure, ac merito obseruat, suspicit, & adorat. Delectata profectò cum maximè nuper ést Diuina Sapientia coram Deo,

lusitq;in Orbe terrarum, suas professa delicias esse cum filijs hominum, cum Te Purpuratorum quidem Patrũ omnium suffragijs conspiratis electum; at Regum primò, ac Principum concordibus studijs, tum etiam populi vniuersi communibus, intimis, intentisque votis, ac precibus expetitum, ad summum istud in terris fastigium, proximamque Cęlo Pontificis Summi Sedem euexit. Vnus in hoc Ipse aduersari visus es Tibi: nec illa dumtaxat, vt fama est, Christianæ demissionis voce, qua deferentibus Tibi pronam in te Electorum voluntatem affirmabas seriò, nunquam ab ijs electum iri Te, quem minimè omnium dignum dignitati omniũ maximæ Diuinus Spiritus dari omninò non fineret; verùm etiam earum denunciatione rerum, quas animo tunc versares, præstaresq; certissimò, si Pontifex esse electionis imperio cogereris: quæ quidem optimo Ecclesiæ regimini ceù semper maximè salutares, ita nunc fortassis etiam necessariæ, eorum animos, qui labentis naturę deliniri sensu, hortatuq; flecti se finerent, aliò à Te possent prorsus auertere. At enim Tui demum electio (confidenter dicam) coacta fuit planè, non libera. Antiqua enim Tua virtus tã spectanda omnibus, quàm perspecta, suam tunc vim, quanta in ipsa fuit, omnem exeruit; ac veluti Te adegit, ad summum istum refugiendum honorem, ad quem

non

non rarò alij assiduo,magnoque votorum tendunt anhelitu; sic & Electores compulit, vt eundem Tibi nunquam optanti, & vix denique patienti deferrent. Et, quando virtutis, ac morum quoddam veluti semen esse solet in sanguine, Tuo in auito Insigni, tanquam in imagine,ac hieroglyphico Tuum ego animum eiusque dotes Romano dignas Pontifice contemplabar. Atque, Illa, dicebam, clarissimæ Gentis ODESCALCHAE Aquila,eiusTuę tessera mentis est, quæ non cogitationes modò tam alto pares habet Imperio; verùm,quod in Sacerdote Summo sanctum, adorandumque cum primis est, piarum precum vsu tam constanti, tam longo, se se terris eripiens, Cælo infert altissimè,penitusque figit in Deum.Leo ille magnanimus,in terrestres omnes animantes dominatum gerens, eius symbolum Tuæ potestatis est, qua & appetitus naturæ omnes habet in Te ratio inconcussa sub fræno; & delicias,opes, honoresque omnes, maior ijs regnator Tuus animus regia planè generositate contemnit:quo fit,vt,documento magnanimitatis excelsę,nihil aut ames,aut metuas, nisi Deum. Ii demum ex graui, prudentiq; calculorũ ludo petiti,ac triplici candidæ fascię inclusi Signiferi,itaTe cum Diuina Sapientia docent sapienter ludere in hoc Orbe terrarum, vt regiminis Tui formâ memorandâ semper ab omnibus,

&

& colendâ, ſingulari nempe pietate in Deum, in populum ſtudio, in Eccleſiam omnem, Orbemque vniuerſum, ardore, vigilantiâ, caritate, cum exhibito ſemper, & vbique innocentię candore, ſecuturis omnibus Chriſti Vicarijs, explicato veluti vexillo, pręeas Anteſignanus. Tanta proinde mihi ſi ex Te ſortiri detur auſpicia, quid ego meis non poſſim votis ex omni parte fauſtiſſimum polliceri? Porrò, velut olim Aeneas apud Virg. Aen: *6.* (quod ad poëticum carminis decantandi commentum, in huius libelli fronte propoſita monſtrat imago) Sibyllâ docente, ducentibuſque Columbis, in condenſo nemore aureum ramum feliciter inuenit; facilèque decerptum ad piorum Manium Reginam, eo, quem optarat, euentu proſperrimè deportauit; ita & ego à Sapientia ex bonarum artium, ac diſciplinarum exedris productus, diuini Spiritus afflatu, rectoq; meę mentis intuitu, geminæ veluti ductu Columbæ, munus hoc & meorum ſtudiorum, & obſequentis animi, Eccleſiæ Sacrorum Præſulum, ac Principum Parenti, & Altrici defero, dedicoque. Neq; verò fructum hunc qualiſcumq; ingenij, conatuſq; mei, ramum aureum appellare verebor, ſi benignè Tu illũ, BEATISS. PATER, admiſeris; cuius vno non dicam potentiſſimarum attactu manuum, ſed ſanctiſſimorum coniectu oculorum, omni auro, gemmiſ-

miſque pretioſior ideo ſtatim fiet, quia, quemadmodum vices imples, quas geris, ſic etiam ſpiritu, ac virtute plenus es Dei. Vtinam denique ſempiternus ille temporum Moderator, & Autor, qui Te optantibus, rogantibuſque nobis, ſummo ſuæ in nos beneuolentiæ argumento, in iſto Pontificiæ dignitatis culmine fruendum dedit; in eodem Te quàm diutiſſimè incolumem ſemper, vegetumque conſeruet; vt, quemadmodum in Cælo perpetua ſunt gaudia Beatorum, ſic & lætiſſimum hoc Tui donum à Deo nobis annuente conceſſum, non iſta tua ſolùm & virtute excelſa, & maieſtate Deo proxima, ſed in ipſa etiam Tuę vitæ diuturnitate, Caput Mundi Roma, & omnis cum Roma Mundus ſentiat planè, & gaudeat eſſe cæleſte.



LE-

LECTORI.



Ecantatum apud omnes eſt Troiani Herois Aeneæ iter ad Elyſium, à Virgilio Aeneidos libro 6. non eleganter minus, quàm accuratè deſcriptum. Cumanæ Sibyllæ vſus ille conſilijs, dum in condenſo nemore aureum veſtigat ramũ, munus Proſerpinæ deferendum, auſpicato geminæ Columbæ, maternarum ſcilicet auium aduolatu, quas ſibi duces ipſe popoſcit, & ramum feliciter inuenit, & facilè decerptum ad piorum Manium Reginam, eo, quem optarat, euentu lætiſſimè deportauit. Inde in beatos Heroum campos admiſſus, à ſuo Genitore Anchiſe, cuius viſendi gratiâ illud iter ipſe ſuſceperat, ex animarum ad Lethæi fluminis ripam concurrentium aſpectu, ſeriem doctus eſt ſuorum Poſterorum inclytam, & auguſtam; originem nempe Romanæ Gentis, & Imperij Romanorum.

Ex hac fabula petita eſt allegoria ad carmen in Philoſophica, & Theologica laurea D. Benedicti Pamphilij *decantandum: à quo, per hunc ipſum honorem in Romano Collegio ſolemni pompa ſibi collatum, ſua ſtudia Eccleſiæ ſunt deuota. Præcipuas igitur allegoriæ partes in hunc modum interpretaberis. In Cumana Sibylla, cæleſtem Sapientiam, in Proſerpina, Eccleſiam, in Elyſij Heroibus, Eccleſiaſticos Proceres, in aureo ramo, deuota ſtudia, in Aenea, deuouentem ipſum, in gemina columba, mentem eiuſdem ingenuam, & diuini Spiritus afflatum commodè recognoſces. Cætera ad eandem ſimilitudinis normam beneuolæ tuæ prudentiæ, candidoque ingenio referenda reliquimus.*

Aurium interim (vt æuum hoc fert) ſeruituri delicijs, latinorum carminum metro Italici etiam rhythmi ſimili vocum ſono cadentis leporem ſubinde periucundum, &, ad muſicos modos, multiplici adiecimus varietate percommodum. Veniam dabit antiquitas, ſi nouitatem hanc in ipſius latinitatem inuehimus, quando & ipſa, vt credi fas eſt, ſi reuiuiſcere, æuumque poſſet agitare nobiſcum, non illibenter, candore ſuo retento, hunc etiam ornatum aſſumeret, vt Genio temporis humaniter deſeruiret.

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiſſ. P. Magiſt. Sac. Pal. Apoſt.

I. de Ang. Archiep. vrbin. vicesg.

Imprimatur.
Fr. Raimundus Capiſuccus Sac. Pal. Apoſt. Magiſt. Ord. Præd.

MELOS PRIMVM.

Aneneæ ad ſtygiam Charontis ripam acceſſus.

Aeneas. Sibylla. Chorus militum Troianorum. Charon. Chorus Vmbrarum feralium. Chorus Manium felicium.

Symphonia flantium cum fragore ventorum.



Aen. Ilete venti.
Sib. Auræ ſilete.
Aen. Nemoriſque vos opaci,
Leuis, ò caterua, frondes:
Sib. Fluuioque vos fugaci,
Celer ò propago, fontes:
Aen. Stridula ſibila,
Sib. Garrula murmura,
Aen. Pellite ramis,
Sib. Mergite riuis.
Aen. Per aperta ſiue flando;
Sib. Per operta ſiue flendo;
Aen. Trepitando nil citate;
Sib. Fluitando nil mouete:
Ambo. O venti, ò frondes, vndæ, auræ, ſilete.
Omnes. O venti, ò frondes, vndæ, auræ, ſilete.
Echo. Silete, ſilete.

Symphonia. Iterum venti fremunt.

Cho: mil. O leues cateruæ,
O venti procaces;
O vndæ loquaces,
O auræ proteruæ;
Ciere ſyluam parcite flatibus;
Turbare callem mittite fletibus.
Sib. Elyſios in agros
Nutu Aeneas pergit Olympi.

Aen.

Aen. Ne, latratu qui trifauci
Stagna perſonat Cocytia,
Tollat iras, & fremente
Cœpta turbet ore Cerberus;
Seruare veſtris diſcite Manibus,
Et grata veſtris diſcite mœnibus
Letho nata ſilentia,
Lethe nota ſilentia;
Natha letho, nota Lethe,
O venti, ò frondes, vndæ, auræ, ſilete.
Omnes. O venti, ò frondes, vndæ, auræ, ſilete.
Echo. Silete, ſilete:

Symphonia ad Cerberi latratum.

Charon. Triceps ſatelles Orci
Cerberus inſolito baubatur more: quid iras
Aſperat impatiens, & terga dracone flagellat?

Symph. Iterum latrat Cerberus.

Char. Quid inſtat? aut quid obſtat?
Quid horret? aut quid arcet
Triguttur obſtinatis
Latratibus moloſſus?

Symphonia eadem.

Char. Vadentum ſtrepitus audio militum,
Fulgentum radios conſpicor enſium.
Turbo grauis, turba ferox
Tumulata nocte regna,
Erebique vexat arua,
Spretà Charontis, Cerberique laruà?

Symphonia eadem.

Char. Quicumque es hominum, miles, aut ductor, loca
Qui per profunda carpis armatus viam,
Remea, repeda, celera, propera;
Refer audacem, mora nulla pedem:

Viuis

Viuis non licet hanc adire ſedem.
Aen. Licet ætherio ſemine genito;
Licet aſſenſu Sortis eunti;
Licet audenti, licet ire mihi.
Obſequium vel ſpontè, Charon, concede carinæ;
Hæc ſibi vel facient arma, manuſque viam.
Ad arma, ad arma, milites ad arma.
Cho.mil. Ad arma, ad arma, ad arma.

Symphonia bellica.

Char. Quis nouus Alcides, quis Theſeus, Piritoüſue
Improbus inſultat ripæque, ratique Charontis?
Vim quoq; vim nobis audax, & bella minatur?

Symphonia concitata terrifica.

Char. Properate, noctis Vmbræ;
Celerate, caſtra Ditis;
Luctus, Ira, Cura, Pœna,
Spectra, Laruæ, Monſtra, Diræ;
Triſtis anguibus Mægera,
Et flagello trux Enyo;
Erebique mille peſtes;
Tænarique mille mortes;
Impete, turbine,
Fulgure fulmine,
Verbere, vulnere, ſanguine, funere,
Cohibete vires,
Prohibete viros.

Symphonia eadem.

Cho.Vmb.fer. Luctus, Ira, Cura, Pœna,
Spectra, Laruæ, Monſtra, Diræ,
Triſtis anguibus Megæra,
Et flagello trux Enyo,
Erebique mille peſtes,
Tænarique mille mortes,
Impete, turbine,

Ful-

Fulgure, fulmine,
Verbere, vulnere, sanguine, funere;
Agmina flammati ruimus Phlegetontis in arma.

Symphonia bellica.

Cho mil. Stringite ferrum.
Cho. vmb. Prendite tedas.
Cho.mil. Mittite tela.
Cho. vmb. Spargite flammas.
Cho. mil. Pellite Furias.
Cho. vmb. Cedite fures.
Cho. vmb. O tetra cohors, vulgus amarum!
Cho. vmb. O dira phalanx, agmen auarum!
Cho. mil. Cedo locum, cedo viam.
Cho. vmb. Refer, age, citò pedem.
Cho.mil. Aeneæ licet hanc adire sedem.
Cho. vmb. Viuis non licet hanc adire sedem.

Symphonia bellica furialis.

Sib. Magnanime Aenea, quid inanes percutis vmbras?
Irrita per vacuum conseris arma manu.
Nec suus est sanguis, nec sunt sua corpora laruis:
Aĕre conflatum lumina fallit opus.
Quin magis aggredimur dictis mollire Charontem?
Sæpè mouent rigidos mollia verba senes.

Symphonia dulcis.

Aen. Atra te per antra luci;
Sib. Pigra te per stagna ripæ;
Aen. Gracilemque per carinam;
Sib. Viridemque per senectam;
Aen. Perque mentis robur acre;
Sib. Perque menti pondus atrum;
Ambo. Oro, stygiæ portitor vndæ,
Iram corde remitte,
Et suspicari vim, dolosue mitte.
Char. Nec supplices rogatus,

Nec

Nec ora blanda molliunt Charontem.
Abeste fastu, fraudibusque pleni,
Verba non dantur seni.
Sib. Desine tandem, desine, Senior,
Seù damna Ditis aulæ,
Seù bella Tænari timere Ciuibus:
Char. At tu remitte frontem,
Vanosque omitte flatus,
Audax, mihique acerbe,
Cristate Dux, superbe:
Age, fare, quid hinc petis armatus?
Sib. Auro en rutilum suspice ramum.
Tros Anchisiades, Germen Olympicum,
Aeneas, sobolis gloria Dardanæ,
Maternæ volucris, geminæ ductu
Nempe Columbæ, sponte sequacem
Hunc modò diuite carpsit ab arbore.
Aen. Satis hoc: at hoc abundè;
Iunoni fero munus hoc profundæ.
Nunc age, rumpe moram,
Aduerte promptam littorique proram:

Symphonia dulcis, & pacata.

Char. O post tempora longa reuisi
Rutili dulcis gratia rami!
Veneror Dominæ diues auernæ,
Pronusque sacrum munus adoro.
Procul hinc furuæ, procul ò Laruæ:
Huc huc hilares currite Manes.
Sumite festas, sumite voces;
Et sua rumpat lingua silentia.
Dicite mecum, dicite læti,
Io, pæan, ter io, pæan.

Symphonia hilaris, & exultans.

Cho. Man. fel. Hilares tecum, dicimus, io;
Io, pæan, ter io, pæan.

Psallite, ludite, plaudite, dicite,
O mage pulchro pulchra corallo
Rutilo radians virga metallo!
Dicimus hilares, dicimus omnes
Io, pæan, ter io, pæan.

Symphonia eadem.

Char. Inscende, ò columen Troianæ gentis; Olympi
Inscende, ò Soboles digna Parente, ratem.
Cernis, vt ethesiæ dulces, zephyrique tepentes
Ad tua vota valent, ad mea vela volant?
Styx quoque mœsta suo manans, & segnis ab ortu
Sumere nunc alacres gaudia iussit aquas:
Iam mea fessa licet vix cymba sit vtilis æuo,
Non premet hanc pondus, sed feret amne tuum.

Symphonia eadem

Aen. Sib. Euge, triumphe, io: io, pæan, euge, triumphe!
Omine læto, sidere fausto,
Alite dextro, Dite sequestro,
Amne tuto nauigemus,
Fauonijsque, aurisque vela demus.
Omn. Euge, triumphe io: io, pæan, euge, triumphe!

Symphonia eadem.

Cho. Man. fel. O flaminis boni,
Huc age Fauoni.
O dulces, ò gratæ
Huc auræ spirate:
Vos, & ò inanes,
Per prata vagantes,
Adeste lætantes,
Et plaudite Manes:
Veloces intenti,
Venite Manes, & volate venti:
Omn. Euge, triumphe, io: io, pæan, euge triumphe.
Psallite, ludite, plaudite, dicite,

Euge

Euge triumphe, io: io pæan, euge, triumphe.

Symphonia eadem.

Duo ex cho.man. Heros aureus ramum aurantem
Defert Hecate dona triformi:
Surge Charon, & Cerbere dormi;
Læta Virum fer puppis ouantem.

Symphonia adplausum.

Cho.Man. O benè dictum ! ò factum benè !
Heros aureus ramum aurantem
Defert Hecate dona triformi ;
Surge Charon,& Cerbere dormi;
Læta Virum fer puppis ouantem.
O benè dictum ! ò factum benè.

Symphonia eadem.

Omn. O benè dictum ! ò factum benè.



MELOS SECVNDVM.

Aeneæ ad Regiam Proſerpinæ aulam ingreſſus.

Fama. Proſerpina. Aeneas. Sibylla. Chorus Proſerpinæ. Chorus plaudentium.

Symphonia tubarum.

Tres ex cho. plau.



D aulam, ad aulam, ad aulam.
Fama recentis conſcia gaudij,
Claro canoræ murmuræ buccinæ,
Adeſſe magnum nunciat Hoſpitem.
Ad aulam, ad aulam, ad aulam.

Iterum tuba clangit.

Tres alij ex eod. cho. Auditis ? iucundæ
Sunt notæ, ſunt feſtæ:
Ad aulam profundæ
Iunonis adeſte.
Nunc faue, nunc ferue,
Decora pompa nobilis cateruæ.

Iterat tuba clangorem.

Alij tres. Tuba concinuit, tuba conticuit.
Procul mora; vocat hora;
Ite celeres, ite rapidi,
Cogite lectos, cogite cœtus.
Puberumque candidatos,
Procerumque laureatos,
Heroumque, Principumque,
Meritiſque, purpuraque
Emicantes, eminentes,
Quos decora Virtus euehit,
Quos canora Fama prouehit,
Quos honorat, quos coronat,

Lu-

Luce, ſtellis, ſole, gloria.
Ad aulam, ad aulam, ad aulam.

Symphonia feſtiuè iucunda.

Fama. Troum columen Deus Aeneam
Eubœis huc miſit ab oris:
Defert Hecate munus honoris;
Ite ſtygiam cingere Deam.
Innubi fronte lætus
Diem ſerenat Sol, adeſte cœtus.

Symphonia eadem.

Cho.Prof. Hilares,alacres, agmine denſo,
Auidi, celeres, ordine longo,
Adſumus omnes; adſumus, adſumus;
Quò tuba læta vocat
Elyſiæ Dominæ factura caterua coronam.
1. Hìc adſtat Meritum.
2. Hìc Honor aſſidet.
3. Hìc Fulgor ingenì.
4. Cultus hìc Palladis.
5. Amorque recti candidus;
6. Horrorque culpæ pallidus;
7. Et Martis Ardor impiger;
8. Triumphus & victoriæ.
Quatuor, &c. Et centum niueo Genij candore decentes,
Milleque nobilium radiantia nomina laudum
Circumſtant ſolio, Diua profunda, tuo.

Symphonia eadem:

Prof. Pompæ emicantis, eminentis, inclytæ
Apparet ordo perfrequens: decet, placet.
Accedat Hoſpes; Regia alloquio vacat.

Symphonia ſuauiter grauis.

Aen. Regni triformis Arbitra,
Mundo verenda triplici,

Cælo, ſoloque, & tartaro,
Regina ſalue. Pedibus aduoluor tuis,
Tibique hunc, pretium mei
Conatuſque pij, fortunatique laboris
Auro comantis arboris ramum fero.
Si fulgidus doni
Arridet hic flos,
Proſerpinæ boni
Sint vultus in nos.
Nil triſte, nil graue,
Nil aſperum moue;
Auſpicijs faue,
Amplexibus foue.
Quod annuit Fatum,
Hoc vnum auemus;
Elyſij beatum
Luſtrare da nemus:
Clementia Diuæ
Munus roganti donet hoc, & viue.

Symphonia ad plauſum.

Pros. Vnde tibi genus eſt, Hoſpes? quæ te aura profudit?
Namque tuis multum moribus inſtar ineſt.
Carpere nec rutilum quiſquam valet arbore ramum,
Hoc niſi cui Virtus præſtat, amorque Iouis.
Et ſtygios innare lacus, remeareque ad auras,
Hactenus hoc vni Dijs potuere ſati.
Munere iam carpto, ſtygias cum viceris vndas,
Qua geſtum ſorte, aut vi ſit vtrumq; doce.
Sib. Aduena Phrygius, Troius Heros
Ab Ioue ſtirpem ducit Olympicam.
Ergo profundi te quoque Regni
Dominam claro ſanguine tangit.
Solemque tecum, milleque tangit
Numina Cæli, lumina Mundi.

Symphonia ad plausum.

Cho. plaud. Euge cantus, euge plausus:
Date sonos, date melos.
Age læta da canorem,
Gaudiumque, Fama, funde;
Aulæ & Hospitis profundæ
Prome laudes, dic honorem.
Age, Fama, fulguranti
Ex Olympi stirpe cretum,
Sedis imæ per viretum
Aere cane, & ore ouanti.
Tolle plausu, tolle gloria,
Clangore festo personet victoria.

Symphonia tubarum.

Aen. Hæc tua, quam nosti, Phœbi, Triuiæque Sacerdos
Per nemus obscuræ dux fuit ipsa viæ.
Dumque oculis altè ramum vestigo, Columbæ
Apparent geminæ: nosco Parentis aues.
Deueneror Numen, Genitricis & omine lætus,
ESTE DVCES, supplex oro; fuere duces.
Namque mihi ad ramum facili præiere volatu;
Virga fuit tactus sponte secuta meos.
O Regina beatis in oris
Viuum iubar Heroum, & Dux;
Cui diuini maiestas hæc oris,
Cui tam pulchra non grata sit lux?
Si me Iuppiter æquus amauit,
Tui amore sic prosperat me;
Mihi virga tam læta si fauit,
Læta venit, quòd venit ad te.

Symphonia ad plausum.

Prof. O Gentis Phrygiæ
Lumenque, & columen!

O Matris inclytæ
Par Cælo ſoboles!
O fulgor aurei
Ter blande muneris!
O quæ te protulit
Planta beatior!
Vt luce recreas
Pallente lumina!
Vt dulci vulneras
Decore pectora!
Sic eſt: Olympi veros
Natales auri virgà probat Heros.

Symphonia eadem.

Cho. plaud. Euge cantus, euge plauſus,
Date ſonos, date melos.
Age, Fama, fulguranti
Ex Olympi ſtirpe cretum
Sedis imæ per viretum
Aere cane, & ore ouanti.
Tolle plauſu, tolle glorià,
Clangore feſto perſonet Victoria.

Symphonia tubarum.

Prof. Nunc agite, ò proceres;
Conſulite in medium:
Heroumne videtur
Aduena concilio dignus, & Elyſio?
1. *Ex cho.* Cenſeo ſic Meritum.
2. Cenſeo ſic & Honos.
3. Affirmo Fulgor ingenì:
4. Confirmo Cultus Palladis.
5. Horror criminis approbo:
6. Virtutis Ardor comprobo.
7. Vigor Gradiui aſſentio:
8. Triumphus & victoriæ conſentio.
Quatuor. Et centum niueo Genij ſimul ore decentes,

Aliј

Alij 4. Milleque nobilium ſimul inclyta nomina laudum
Octo ſimul. Troianum Procerem, Germen Olympicum,
Concilio Heroum, ſedibus Elyſijs
Dignum probamus omnes,
Omnes probamus, approbamus omnes:
Chori omnes. Omnes probamus, approbamus omnes.

Symphonia ad plauſum.

Prof. Vade iam, procede lætus,
Dulce Olympi germen, Hoſpes:
Ad beata Regna ſoſpes,
Heroumque perge cœtus.
Vade Dux, lux vade Troum,
Dignus ſedibus es,& cœtu Heroum.
Cho.plaud. Vade dux, lux vade Troum,
Dignus ſedibus es, & cœtu Heroum.

Symphonia ad plauum.

Cho.omn. Date cantus, date plauſus
Date ſonos, date melos.
Age, Fama, fulguranti
Ex Olympi ſtirpe cretum
Sedis imæ per viretum
Aere cane, & ore ouanti.
Tolle plauſu, tolle gloriâ;
Clangore feſto perſonet Victoria.

Symphonia plaudentium.



MELOS TERTIVM.

Aeneæ ad Elyſios Heroum campos admiſſio.

Aeneas. Anchiſes. Sibyllæ quatuor. 1. Cumæa. 2. Erythræa. 3. Delphica. 4. Helleſpontiaca. Chorus Heroum.

Symphonia lætiſſima.

Cho.
Her.

Audia, gaudia, currite gaudia:
Vuida, viuida, candida, ſplendida,
Roſcida, dulcia, mollia, mellea,
Innate plenis largiter alueis;
Vndate crebris iugiter imbribus;
Fluite, pluite; ruite gaudia.

Duo ex cho. Quam lęta latè regna tendunt Elysì,
Proſerpinæque fulget aula nobilis;
Quà ſoſpitatis ſpirat aura diues,
Ite, & beatos recreate Ciues.

Symphonia eadem.

Alij duo. Ad lota lacte flumina
Cycnæa plaude vox:
Ad læta Solis lumina
Coniunge & aſtra, nox.

Symphonia ſimilis.

Alij duo. Mœroris atri nubila,
Phœbæa pelle fax:
Riſuque mixta iubila,
Serena funde Pax.

Symphonia ſimilis.

Alij duo. Huc impluat tenerrimus,
Et ſpargat arua ros:
Hìc germinet pulcherrimus,

Pin-

Pingatque rura flos.

Symphonia similis.

Alij duo. Crispante blanda vortice
Hic semper aura flet;
Omnique planta è cortice
Liquata mella det.

Symphonia similis.

Varij ex cho. O frontis niueæ læta serenitas!
O vultus rosei dulcis amœnitas!
O vena puri gaudij felicitas!
O pacis imber aureæ beatitas!
Omn. Heroes honori,
Manesque decori,
Quàm læta latè regna tendunt Elysì,
Proserpinæque fulget aula nobilis,
Quà sospitatis spirat aura diues,
Florete semper, & vigete Ciues.

Symphonia exultans.

Aen. Quàm læta, quàm serena
Quàm fulget Elysì beata lux!
Sib. Cum. Quàm culta, quàmque plena
Amore dulci complet arua frux!
Aen. At Genitor, cernis? Genitor venit obuius: ò! ò!
Anch. O Nate, Nate dulcis!
Aen. O dulcis Parens!
Anch. Exoptata diù tua denique conspicor ora!
Aen. Et mihi cara, Parens, tua se nunc monstrat imago!
Anch. O magnis defuncte soli, pelagiq; periclis!
Ast alij te, Nate, manent, alijque labores:
Longior & rerum mixtis ambagibus ordo.
Macte animis: paruo non fama, & regna parantur;
Et iuuat augustis laudes extendere factis.
Iuppiter Italiam tibi destinat: Alba receptum
Attollet folio Iulum: longa inde nepotum

Re-

Regnantum series, virtute insignis, & armis
Terrasque, & populos titulis adiunget Auorum.
Donec, io, proprio dictam qui nomine Romam
Construat, auspicio victor, de sanguine surgat
Assaraci, soboles par, & par gloria Martis.
Quem postquam emeritum terris, & fortiùs Vrbe,
Hostibus edomitis, iam stante, receperit æther;
Pompilius, Numa Pompilius, pietate sequetur,
Legibus, & sacris, & maiestate verendus;
Pontificum Princeps, idemq; sacerrimus autor.
Sed noua quę species alio se se ordine pandit?
Quæ forma Imperij maior? quę tanta potestas
Cæloque, & terris, & sedibus imperat imis?
Lingua nec effari, nec lumina cernere tantum
Nostra queunt: afflata Deo vos pectora, castę
Vos acie meliore seni succurite Vates.

Symphonia suauis:

Sib. Erythr. Venient annis secula seris,
Lapsusque Polo Deus, occulto
Viset amatas Numine terras.
Crimine pulso noua se referet
Candida roseo Gratia vultu:
Verique sacrum, solidumque iubar
Numina, & aras, fumumque Deùm,
Somnia pulsis exiget vmbris.

Symphonia læta.

Sib Delph. Inde celsior potestas,
Sanctiorque surget Imperi,
Quam vereri pertimenda
Tunc amabunt sceptra Cæsarum.
Illa terris, illa Cælo,
Illa ponet iura tartaro:
Triplicique texta serto
Cinget illi gemma verticem.

Symphonia grauis.

Sib. Hellesp. Leges, & sacra Romuli
Præstans auspicijs iam Numa proferat:
Vincet relligiosius
Numen PAMPHILIVM Pompilium Numam.
INNOCENTIVS hic erit,
Quem Mundo Solium præficiet Petri:
Quem librà & gladio Themis
Iustum sidereis orbibus inseret.

Symphonia hilaris.

Tres simul: Age chelys, age tuba,
Cie sonos, cie modos:
Modulatos cie sonos,
Generosos cie modos.
Date cantus, date plausus;
Cantibusque, plausibusque
In astra ferte nomen INNOCENTII.
Omn. Date cantus, date plausus:
Cantibusque, plausibusque
In astra ferte nomen INNOCENTII.

Symphonia eadem.

Sib. Erythr. Imperì quondam sacra Vaticani
Sceptra cum iustæ reget arte dextræ,
Quantus hic tanget Sapientis altà
Laude Nepotem!
Sib. Delph. Gloriæ pulchræ cupido sagacis
Ingenì viuos stimulabit ignes.
Nobiles ingens animos in altum
Tollit imago.
Sib. Hellesp. Calculis, io, niueis probato
Gymnadis magnæ, redimire quanto
Palladis plausu volet vtriusque
Laurea frontem!

Gloriæ quantum iubar, & sereni
Gaudij sparget super INNOCENTIS
Tunc ODESCALCHI liquido canendum
Murmure nomen!

Tres simul. Age chelys, age tuba,
Cie sonos, cie modos.
Modulatos cie sonos,
Generosos cie modos.
Date cantus, date plausus;
Cantibusque, plausibusque
Cælo Nepotem tollite INNOCENTII.

Symphonia exultans.

Omn. Date cantus, date plausus;
Cantibusque, plausibusque
Cælo Nepotem tollite INNOCENTII.

Symphonia eadem.

Sib. Erythr. Maiore sed torrente lucis Numina
Augustiora fulgurant.
Procedit vlnis explicatis obuia
Matrona Sponsa Numinis:
Virtutibusque cincta, nempe Cælitum
Choro, & corona nobili,
Doctum Mineruæ læta munus excipit;
Sed deferentem lætior.
Illæ sed & cælestibus superbiam
Sumpsere pulchram Ciuibus.
Sedisque secum Vaticanæ Principum,
Queis aut origo sanguinis,
Affinitasue fulgur auget Pamphilì;
Vultus verendos deferunt;
Vt quæque sacro grata Virtus altiùs
Cuiusque sedit pectore.

Symphonia eadem.

Sib.Delph. Mundi *PAMPHILIVM, ALDOBRANDINVMQVE* Parentes
Iustitia hunc Cælo sustulit, hunc Pietas.
Dat *BARBERINO* pretium Sapientia : pondus
Adiungit Clemens Diua *LODOISIO.*
Sib.Hell. Munificæ largus *BVRGHESIVS* occupat vlnas ;
CHISIVS integræ fulget ab ore Deæ.
Laudibus inuigilat Vigilantia *FACHENETTI*;
Magnaq; fert magnum pectore Diua *CIBO*.
Sib Erythr. FARNESIO speculum Prudentia donat : *HONORI*,
Teque suo Probitas ore, *SABELLE*, probat.
NICOLEI VRSINI Maiestas inclyta vultum,
Cor *BONCOMPAGNI* Mater Amoris amat.

Symphonia ad plausum.

Anch. O tunc superba Troum,
Et præpotens propago !
O diues, & ter inclyta,
O lumen Orbis Vrbs, beata Roma !
Hoc, Nate, sub profunda
Memor repone mente :
Imple futura cor, sinusque laude,
Laboribusque gaude.
Sib.Cum. Duris vigescit alma
Virtus, instar oliuæ:
Laudisque celsæ, gloriæque viuæ
Sudore crescit irrigante palma.
Procede, Tros Gradiue,
Laboris ad seuera tende castra;
Molle non iter est eunti in astra.
Aen. Nec me soli tumultus,
Nec me sali procellæ,
Cæli minaxque vultus
Comantis igne stellæ
Strauere vel terroribus,

Fre-

Fregere vel laboribus.
Virtutis ære tectus
Sortis armatum gero in arma pectus.

Symphonia ad plausum.

Sib. Cum. Scena Cælum, ſcena tellus,
Scena Mundus omnis eſt.
Scena Mundus eſt laboris,
Ludit actor ipſe fabulam.
Veritatis at ſeueram,
Clara virtus vnde fulgurat,
Ipſe geſtis, geſtibuſque
Expolitis, elegantibus
Eruditus efficaci
Ludit actor arte fabulam.
Scena Cælum, ſcena tellus,
Scena Mundus omnis eſt.
Surgit ingens, & ſuperbo
Fulcit Atlas aſtra vertice;
Mole tanta ſed minorem,
(Dum laborat aula Cælitum)
Sponte ſubleuat toroſus,
Et lacertis amplus Hercules.
Collaborat, & nouercam
Coniugem Tonantis aſperam,
Arduique tunc prementem
Aetheris conuexa ſuſtinet.
Scena Cælum ſcena tellus,
Scena Mundus omnis eſt.
Ille cunis iam vir infans,
Maior omni & hoſte tantulus,
In minaces tortuoſis
Surgit hydros acer orbibus:
Et vibrantium triſulca
Stringit, eliditque guttura.
Quot cruentis inde monſtris,
Quot malignis inde peſtibus

Ex-

Expiauit arua, & vrbes,
Stagna, montes, lustra, & aëra;
Donec ætheris merentem
Sedibus se victor intulit!
Scena Cælum, scena tellus,
Scena Mundus omnis est.
Inter astra si refulges
Castor, & Gemelle Castoris;
Cælitumque si beatis
Diue mensis Liber accubas;
Post coactos præferocem
Mitigare equos superbiam;
Post palæstram, fortiumque
Fracta pulsu membra cæstuum;
Post & omni ab Orbe raptas
Mille palmas, mille laureas,
Hoc rependit æqua vestris
Præmium Virtus laboribus.
Scena Cælum, scena tellus,
Scena Mundus omnis est.
Ipse Iuppiter timendum
Vrbe in omni, & Orbe gentibus,
Regibusque quando ab alta
Se probauit arce siderum?
Sæua nempe post Gigantum
Gesta forti Marte prçlia:
Cùm trisulco perduelles
Fulminatos igne perculit:
Montiumque sub ruina
Cum scelestis crimen obruit:
De serena tunc quietus
Imperauit arce Iuppiter.
Scena Cælum, scena tellus,
Scena Mundus omnis est.
Anch. Accipe, Nate, piç prçsagia sancta Sibyllç.
Fortiùs, exemplis qui monet, ille mouet.
Sic, vbi te Virtus, Meritumq; probauerit Orbi,

Et

Et tibi, Nate Deà,Iuppiter aſtra dabit.
Cho. Her. Gaudia, gaudia, currite gaudia,
Vuida, viuida, candida, ſplendida,
Roſcida, dulcia, mollia, mellea,
Innate plenis largiter alucis,
Vndate crebris iugiter imbribus.
Troi Anchiſiade, germini Olympico
Herois olim digna laboribus
Donabit æquus ſidera Iuppiter.
Aen. Aere, Fama, nunc canoro
Per Elysì beata funde caſtra,
Ardua ſublimis ſcandit labor vnus in aſtra.
Omn. Ardua ſublimis ſcandit labor vnus in aſtra.



P L A V S V S

In fine.



Omn. Ge chelys, age lyra,
Cie ſonos, cie modos:
Modulatos cie ſonos,
Generoſos cie modos.
Aere, Fama, nunc canoro
Per Elysì beata funde caſtra,
Ardua ſublimis ſcandit labor vnus in aſtra.

